

*Lecythis, Prockiae; Laetiae; Segueriae; Curatellae; Stemo-
diae Br.; Ellisiae Br.; Monnieriae Loeffl. (non Brownii);
Piscidae Br.; Pectis, Ebeni, Zinniae, Amelli, Ayeniae,
Xyloptiae Br.; Omphaleae Br.; Tripsaci, Olyrae, Phari Br.;
Cecropiae, Batis Br.; Trophis Br.; Iresine Br. Achras emen-
davi pag. 1381, nec non Samydam, Spondias, Hippomane,
Huram, Pisoniam.*

His vale, et si faveas, rescribe.

Dabam Upsaliae d. 1. Augusti 1759.

2.

Viro vere magno DD. Nic. Jacquinio s. pl. d. Car.
Linnaeus Eques.

Tuis gratiores et suaviores vix umquam excepi literas, quas heri accepi, refertas rarissimis pulcherrimisque observationibus. Candor animi, acumen ingenii, Botanices doctrina summa in his radiabant egregie. Ego, qui infelix numquam potui videre Indias, debui aliorum oculis, saepe luscis, videre rarissimas plantas, Tu, ter felix! vidisti eas coram, oculis vere lynceis, sis mihi praeceptor facilis et liberalis, discipulum in me habebis gratissimum.

Lens phaseoloides, quam in horto habeo ex India orientali, numquam floruit, distincta debet esse species a Tua planta, mea enim foliola habet acute emarginata, et petiolus communis in cirrhum desinit. Novisti nullius generis characterem difficilius determinari quam *Mimosae*, cum aliae species gerant flores apetalos, monopetalos, pentapetalos aliae, in aliis stamina 4, 5, 10, plurima, connata in aliis. Limites genericos inter hasce species dari non posse ex Loefflingii libro de plantis Americae australis patet. Nec ulterius dubito quin Tua planta sit vera species *Mimosae*, adeoque vellem quod alia in Tui memoriam sempiternam diceretur.